



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XXIX. Nova seditio. petra funde[n]s aquas &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRÆORUM  
SEDITIO, EIUS-  
QUE CASTIGATIO. PETRA

PERCUSSA FUMDIT AQUAS. ÆNEUS  
serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis  
obitus. Num 20. 21. Deuteron. 33. 34.

A. M. 2583. Ante Ch. 2470.

**N**EMO unquam mortalium securus est à lapsu,  
justi etiam eidem obnoxij esse sinuntur,  
ut se homines esse sciant. Anno quadragesi-  
mo ab exitu ex Ægypto ventum est ad urbem *Cades*,  
in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cœpit ite-  
rum sitire populus, iterumque cœli patientiam que-  
rulis vocibus laceßere. Moses & Aaron nihil ha-  
buere prius, quàm ut irritatum Numen supplices  
propitiarent in Tabernaculo, Accipitur vox O-  
raculi, ut imperent petræ, ( alia hæc est à Sinæa,  
Exodi 17. ) neque dubitarent, quin ad imperium  
sint aquæ prorupturæ. Moses contra, quàm man-  
datum erat ( credibile est, perturbatione quadam  
animi, ob ingratißimi populi querelas concitatum  
subdubitasse, an DEUS toties rebellibus & incredu-  
lis sit è saxo lympham expressurus ) arreptâ Aaro-  
nis virgâ ( quam supra diximus in Tabernaculo af-  
servatam ) rupem repetita percussione verberat.  
Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se  
effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indi-  
gnif-



gnissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incusò fecisse verberare, solo quod verbo effectum dari oportuisset ; in neglecti igitur obsequij pœnam ingressu Chananitidis utrique interdicatur ; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio pòst mense Aaronem sustulit, & brevi ex intervallo, Mosèn quoque.

Urgentibus itaque suis Aaronem fatis, induitur is, jussu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Mose. Ibi cùm in Eleazarum sacræ parentis vestes, munùsque translata fuissent, diem claudit extremum, centum viginti trium annorum senex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps : hoc felicior, quòd dormienti similior, quàm morienti, sine morbo, vitæve tædio ( nam viribus integris montem conscendit ) in præsentia, & quasi in gremio Mosès, germani fratris, & Eleazari filij, exspirârit.

Mortuo parentatum est triginta dierum luctu ; vixque siccatis lacrimis solita de cibo & potu querela, quasi nania redintegratur : longæque viæ denovo subeunte fastidio, cum Mose expostulatur ab ijs, qui ob recentem adversùs *Aradem*, gentis Chananææ & *Ogum* ac *Sebonem* Amorrhæorum, reges, opimam spolijs Victoriâ, DEO felicitatis Datori gratias, quantas maximas poterant, debuerant meminisse. Pro sceleris modo, supplicium fuit ; pestilens oris virulentia serpentibus est castigata, quorum moribus inflammata corpora, & veluti carbunculis usta contabuerunt, non sine magna mortalitatis strage. Saluti denique fuit pereuntibus simulacrum serpenti-



tis aneum, longa super pertica in omnium oculis e-  
 recti. Et verò solus hîc juvabat aspectus; consa-  
 nuerunt, quicumque oculos in signum intenderunt.  
 Adeò potens jam tum illius fuit umbra, qui secutu-  
 ris post seculis erat pro nobis exaltandus in crucis  
 stipite, animòque scelerum poenitenitente contem-  
 plandus.

Jam *Mosen* quoque, tot laboribus & ærumnis  
 mors erat absolutura. Elapsis ab obitu fratris, men-  
 sibus non ampliùs octo, jubetur à DEO comitatus  
*Eleazaro* novo Pontifice, & *Iosua*, filio *Nunis*, fido  
 in omni fortuna ministro, ascendere montem *Aba-  
 rim*, & ex eo, *Nebonem*, alterum montis jugum; in  
 cujus ubi vertice (*Phasga* nomine) constitit, subro-  
 gato sibi Imperatore belli, *Josua*, cùm jam ante cum  
 bonorum omnium imprecatione & repetita Legum  
 promulgatione populo suo valedixisset; circum-  
 fert oculos per Chananæum (*PROMISSIONIS* ter-  
 ram) cujus ingrediendæ multis annis desiderio uni-  
 cè tenebatur, sed frustra; DEO diffidentia ab ipso  
 in percutienda petra admiffæ poenam exigente; cu-  
 jus ipse providentiæ suavissimè acquiescens, placi-  
 dam oppetijt mortem vegetus & validus, anno æ-  
 tatis vicesimo supra centesimum; funus curârunt  
 Angeli, & in valle *Moab*, seu *Moabitis* confini, terræ  
 mandârunt. Anima in sinum *Abrahæ*, in quem  
 frater *Aaron* jam antè fuit receptus, est deportata.  
 Mortuum populus integro deflevit mense.

Fuit *Moses* prodigiorum patrator illustris, naturæ,  
 quam ad nutum regebat, propemodum dominus,  
 & in pertinacissima gente supra fidem humanam  
 mansuetus, DEI charitatis & patientiæ magnum e-



xemplar, Quadraginta primos annos in aula ver-  
 tus inter principes ; medios in Madianitide inter pa-  
 stores atque cælites ; postremos in horrenda, vasta-  
 que solitudine, inter Israëlitarum turbas, ærumnas-  
 que diuturnas transegit. In prima vitæ periodo  
 castè delicias regum attigit : in altera, corporis la-  
 bores fortiter pertulit : in tertia, heroicâ virtutis  
 constantiâ tantas animi curas expertus est, quantas  
 patientissimo Rectori improbissimus populus infer-  
 re potest. Ubique scilicet virtus inclyta, quot pa-  
 læstras occupat, tot agit triumphos.

NARRATIO XXX.  
 ASINA BALAMI ARI-  
 OLI LOQUITUR ; IPSE  
 QUANQUAM INVITUS, BE-  
 ne precatur Israëlitis Num. 23. & 34. Anno  
 Mundi 2583. Ante Christum 1470.

Congruè bruta mens hominis per brutum do-  
 cetur. Debellatis & interfectis tribus regi-  
 bus, *Atade Chananeorum, Ogo Basanitarum & Sehone*  
*Amorrhæorum*, eorûmq; provincijs à gente Hebræa  
 occupatis, ingens terror vicinas regiones concussit.  
 Jam fulmen belli etiam *Moabitas* afflaverat, in quo-  
 rum oculis castra fixerunt Israëlitæ. Imperabat  
 tum Moabitis *Balacus*, qui cùm plus præsidij in ma-  
 gicis incantationibus, quàm in militari classico re-  
 poneret, advocat è Mesopotamia *Balaamum*, Ario-  
 lum